







EXERCITATIO LEGALIS

*ad*  
tit. 6. pr. §. 1. & §. 2. Inst. Justiniani Imp.

*De*

ACTIONIBUS

PERSONALIBUS ET  
REALIBUS.

*Quam*

Divina Auxiliante gratia

*Ex permisso Nobiliss. & Ampliss. Facultatis  
Juridice in incluta Leucorea Universitate*

SUB PATROCINIO

VIRI MAGNIFICI, AMPLISSIMI, CONSUL-  
TISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI,

Dn. JEREMIAE REUSNERI,

Jcti, & Antecessoris celeberrimi, Facultatis Juridicae Or-  
dinarij & Senioris meritissimi, Dicasterij & Scabinatus  
Assessoris gravissimi,

*Dn. Patroni, Promotoris, & Praeceptoris sui, omni, quo par est,  
honoris & obsequij cultu atatem pro-  
sequendi,*

Publicae & Amicae dimicationi submittit

JOHANNES SCHREITERUS

Wurzenâ Misn.

IN GYMNASIO JCTORUM

Ad diem Januar: horis consuetis.

Wittebergæ, Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr. An. 1643.







## FELICITER.

**I**nis Jurisprudentiæ Justitia est, quæ unicuique suum tribuit. Media sunt duo I. Cognitio ejus, quod uniuscujusque est, quam discimus vel ex personis, de quibus *lib. 1. Instit. Imperial.* agitur, Vel ex Rebus, de quibus *lib. 2. 3. & prior. 5. tit. lib. 4.* II. Ejus legitima obtinendi Ratio. Modus quo quisque suum obtinere potest, & debet, est persecutio Judicialis: Quæ persecutio exercetur per ACTIONES, & de iis agitur aptissima methodo *tit. 6. lib. 14. 7. Imperial.* De hisce paucis in præsentia agere constitutum est. Titulus autem hic non indiget commendatione, ipse enim se ostendit *arg. l. 1. D. de Restit. in integr.* Quæque in cæteris Juris partibus latissime hinc inde sparsa & disjecta sunt, veluti compendio quodam hinc comprehenduntur, unde plenus auro & honore vocatur à *Schneidw. ad pr. 7. b. t. n. 1.*

Th. 2.

Considerabimus autem hujus Tituli 1. *Definitum.* 2. *ὅτι* 3. *Definitionem.* 4. *Divisiones.*

Th. 3.

Definitum est ACTIO: cujus explicanda est 1. *Etymologia.* 2. *Homonymia.* 3. *Synonymia.*

Th. 4.

Originem trahit vox ACTIONIS à verbo Agere. *Etymologia.* Quod verbi additis nominibus diversis, diversas procreat significaciones, de quibus consulantur Lexicographi.

Th. 5.

Actio est ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων accipitur 1. Latissime, & in sensu vulgari pro qualibet hominis tum rationali, tum sensitiva operatione, ita ut ad animalia bruta quoque porrigatur *l. 39. §. 1. D. ad. l. Aquil. l. 235. de V. S. 2.* Latius & in sensu Juridico pro actione tam Criminali, quam Civili *l. 1. C.*

A 2

qn.



*gn. Civil. act. crim. prejud. l. pen. D. si ex noxal. caus. Illa in pro-*  
*rium nomen abiit & Accusatio appellatur. Hac nomen*  
*actionis retinuit; ita ut & exceptiones in se contineat. l. 1. D. de*  
*Except. Magnif. Dn. Frantz. Exerc. 13. q. 1. n. 11. 3. Latè & civiliter*  
*quatenus complectitur certas Juris formulas, item libellum*  
*l. 3. C. de edendo. omnes tam in Rem. quam in Personam actio-*  
*nes l. fin. C. de hered. vendit. directas & Utiles, tam Civiles quam*  
*Prætorias, ordinarias & extraordinarias persecuciones l. 178.*  
*de V. S. atque ita quævis remedia, quæ actionum instar obti-*  
*nent, earumque loco proponuntur: nec non interdicta actio-*  
*nis verbo comprehenduntur per J. de Interdict. l. 37. de O. & A.*  
*l. 43. §. ult. ad l. Aquil. l. 3. de mortuo infer. quæ licet olim extra-*  
*ordinem dicebantur, hodiè tamen, ut & omnia judicia facta sunt*  
*extraordinaria. §. ult. J. de Interdict. & in hac larga significa-*  
*tione hoc loco definitur. 4. Strictè, & comprehendit actio-*  
*nes in Rem & personam l. 178. §. 1. de V. S. l. 25. de O. & A.*  
*5. Strictius pro actione personali. d. l. 178. §. 1. de V. S.*  
*6. Strictissime pro conditione indebiti l. 5. §. D. de Censu-*  
*bns.*

Th. 6.

Synony-  
mia.

Appellatur Actio nonnunquam Judicium; ut judicium  
 pro socio, communi dividundo, l. 1. §. t. t. C. & D. famil.  
 ercisc. commun. div. §. 20. 29. 30. J. b. t. sic dicimus dictare alicui  
 judicium i. e. actionem intendere l. 112. de V. O. l. 3. §. 1. de mi-  
 nor. It. Persecutio pr. J. de Except. l. 10. de V. S. Lis l. 36. de V. S.  
 Petitio. l. 178. §. 2. de V. S. Conventio l. 45. de R. V. l. 7. §. 1. §. 5.  
 C. de præscr. 30. ann. Formula l. 42. de furt. Causa, ut cum dici-  
 mus Causa Civilis, Criminalis. t. t. C. quand. civil. act. crim.  
 Vide præ cæteris Althusium. in diceolog. tit. de Actionibus. il.  
 Bachov. in tractatu sue de action. disp. i. th. 9. Borcholt. ad pr. h. t.  
 n. 5. Hillig. Don. Enucl. lib. 19. c. 1. l. C. Rittershus. ad Nov. part. 9.  
 c. 3. n. 13.

Th. 7.

Id om.

Originem & formam Essentialem actiones fere omnes  
 ducunt ex Jure Gentium, quas tanquam rudes & informes  
 jus



jus Civile Romanorum certis qualitatibus informavit, ad  
certum ordinem revocavit, certisque solennitatibus donavit,  
*l. rerum 25. D. Rerum amot. l. 47. D. de Condict. indeb. l. 5. de J.*  
*& J. Dissent. Hunnius ad Tr. vol. 1. disp. 1. th. 4. l. D. Beselius vol. 1.*  
*disp. w. coroll. 3. Quibus satisfacit Bacchov. d. l. th. 12. & noviter*  
*sufficientissime Dn. D. Garbofr. Fiebigius Professor in incluta Salana*  
*P. Patronus & Præceptor meus plurimum colendus, in Collegio nostro*  
*Frantziano Exercit. 13. semidec. questione 1. Aliter dissentit Dn.*  
*Riemerus p. m. decad. 13. quest. 1.*

Th. 8.

Definitio ACTIONIS hoc loco ab Imperatore pro-  
positæ ejusmodi est: ACTIO EST JUS PERSE-  
QUENDI IN JUDICIO QUOD SIBI DEBE-  
TUR.

Definitio.

Th. 9.

Dicitur Actio JUS, quod quò in sensu fiat, variant  
Autores. Nonnulli explicant pro potestate vel facultate a-  
endi jure concessa & attributa. *Magnif. Dn. Arumæus b. m.*  
*Æz. 18. tb. 1. Donell. ad hoc pr. n. 5. & hb. 19. Comment. J. C. c. 1 Schnei-*  
*dew. b. l. n. 18. Quidam pro formula. Lindeman disput. 9. tb. 2.*  
*Frantz. Exercit. 13. quest. 2. Alii unico signato nomine vocab.*  
JURIS exprimi posse negant, idem significare existiman-  
tes, quod in nostrate lingua dicitur: Ein Recht zu etwas has-  
ben/ ubi vim Recht nulla alia voce satis idonee efferre pos-  
sunt, quemadmodum jus cognationis, affinitatis, prædii &c.  
de quo late *Hilliger Don. Emul. lib. 19. c. 1. lit. D. Krembergh ad hunc.*  
*tit. b. pr. n. 8.*

Genus.

Th. 10.

Quo verò à Jure utendi fruendi, habitandi, eundi &c.  
distinguaturs ACTIO, & adæquata ejus ratio exprimatur,  
addit Imperator, quod sit JUS PERSEQVENDI IN JU-  
DICIO. Proprium verbi hujus *persequendi* domicilium est  
in §. 12. & 13. *J. de Rerum Div.* ubi accipitur pro insectari, &  
insequi feras: Inde transfertur ad Reos qui *fugientes* dicuntur  
*l. 13. §. 2. C. de judic. l. 2. in pr. & §. 4. C. de jurejur. propter calum.*

Differen-  
tia speci-  
fica.

A 3

Novell.



*Novell. 49. c. 3. quemadmodum in contraria parte Actores, persequentes §. 10. J. de Injur. Heigius ad hoc pr. n. 13. Donell. n. 7. Harppr. J. n. 3. Hic loci comprehendit omnes in universum apud Judices postulationes, tam ordinarias, quam extraordinarias, etiam quæ instar actionum obtinent, veluti cautiones, damni infecti, legatorum salariorum petitionis, evictionis &c. l. 178. §. 2. de V. S. l. 28. & 35. D. de O. & A. Lindeman. d. l. th. 4. Kremb. d. l. n. 9. Excluduntur vero Exceptiones, quibus Rei non petunt, aut persequuntur, sed persecutiones repellunt. Vultej. ad hoc pr. n. 103. Heigius d. l. n. 14.*

Th. 11.

Fit hæc persecutio IN JUDICIO, quod nullatenus hic à Jure sejungitur, ut excludatur tribunal Prætoris, sed imò totus processus, seu actus negotii discussionis denotatur, cum aliàs in integrum restitutiones, præjudicia, interdicta, cognitiones Prætoris non continerentur *Hillig. d. lib. 29. c. 1. l. G. Ideo autem additur vox Judicij, ne quis propriâ autoritate sibi ipsi jus dicat l. extat. 13. D. quod met. caus. l. 166. de R. J. l. 1. §. 2. D. quod legat. l. un. C. ne quis in sua causa. l. 10. de J. dict. l. 17. de judic. nisi in casu necessitatis, ubi non leve subest damnum, & periculum, deficiente auxilio magistratus, de quibus consule *Donel. lib. 17. c. 2. ibiq. Hillig. Bacchov. th. 26.**

Th. 12.

*Objectum.*

Non autem persequitur hic in judicio actor quodvis, sed id saltem *quod sibi debetur*; quo ipso excluditur actio criminalis, in qua Actor non quod sibi, sed quod debetur vel Fisco, pœnam videlicet pecuniariam, vel ipsi Reo pœnam corporis, aut infamiam infligendam, petit.

Th. 13.

DEBEN DI Verbum, licet proprie de obligationibus dicatur *l. 1. pr. & §. fin. D. de constit. pec. Donell. lib. 19. c. 1.* hic tamen largè accipitur, pro eo quod præstari debet, *l. 178. §. fin. de V. S. l. 1. de Compensat.* ita ut sub se comprehendat actiones



actiones Reales. Debetur ergo in actione reali, non Rei, sed ejus restitutio & possessionis præstatio, eamque persequimur *l. 9. l. 68. de R. V. Arumæus Ex. 18. th. 1. Magnificus Dn. Ungepauerus Patronus meus magnus Ex. 14. q. 2. in N. Harppr. ad hoc. pr. n. 43. 44. & seqq. Hænon. disp. 19 th. 1. l. 6.*

Ad, §. 1. Th. 14.

Divisiones actionum variæ extant; nos missis aliis magno numero hinc inde à Dd. allatis, de iis saltem, quarum Imperat. hoc loco facit mentionem, agemus.

Divisio-  
nes.

Cum vero adæquatum actionum objectum sit RES de qua actio instituitur, quæ aut jam *NOSTRA* sit, aut *nobis debeat* & hæc realiter omnino inter se differant, enata est hinc summa, & adæquata omnium actionum Divisio, qua aliæ dicuntur esse in *Personam*; aliæ in *REM*: *b. §. l. 25. de O. & A. l. 37. cod. l. 178. de V. S.* in hac enim res, quæ jam *nostra est*, *PETI*: in illa ad *id A G I*, quod nobis ex obligatione debetur, dicitur; ut proinde nulla possit oriri actio, quæ non ad alterutram harum actionum referri oporteat. Neque hic agnosco ullam, respectu hujus divisionis, mixturam, quam nonnulli moti §. 20. *f. b. t.* effingunt; cujus §. 20. explicationem conflictui reservabo.

Th. 15.

**Actio Personalis:** Eine Persönliche Klage est actio, qua eum eo agimus, qui nobis est obligatus ad dandum aliquid vel faciendum *hoc §.* & semper adversus eundem locum habet *l. 25. de O. & A.* Appellatur personalis à principali, nim. à persona, quæ est obligata, ut proinde rem, de qua facta est obligatio, minime excludat.

Actio  
Personalis.

Notetur hoc loco distinctio Actionum, ubi aliæ vocantur *Directæ*, aliæ *Utiles*: *Directa actio* (quat. utili opponitur, nam contrariæ opposita aliter alibi describitur) est, quæ datur ex ipsis legis, sive Edicti verbis expressis: *Utilis*, quæ ex mente legis, vel Edicti, propter æquitatem, quæ subest conceditur *l. 18. C. de legat. l. 9. §. 2. D. de A. R. D. l. 24. C. de R. V.*  
*Vutej.*



Vultej. l. 2. Jprud. Rom. c. 4. Schneidw. h. l. n. 5. & comm. Dd. Sed  
& utiles vocantur actiones, quæ ex obligationibus & contracti-  
bus innominatis descendunt, & præscriptis verbis appellantur  
l. 6. C. de transact. quæq; ad exemplum nominatarum actionum  
sunt comparatæ l. 1. C. de Rerum permut. Harppr. tom. 3. §. 1.  
J. de Locat. & conduct. n. 5. 6.

Th. 17.

*Causa Ef-  
ficiens pri-  
maria Cui  
DETUR.*

*Directa* actio personalis datur ei soli, qui aliquem sibi ha-  
bet obligatum. *Obligatio* ergo est causa proxima actionis per-  
sonalis, vel saltem in actu primo; nam actus secundus sæpe im-  
peditur, ita ut exserere se non possit, antequam quid detur vel  
fiat. *Sutholt. Dissert. 28. aph. 1.* & non nisi qui contraxit agere  
potest, adeo quidem, ut actio semel uni quæ sita ei inseparabili-  
ter cohæreat, nec ab eo divelli queat: *Schneidw. n. 22.* Per cessione  
tamen ab aliis exerceri potest *arg. l. 49. in f. de Acquir. possess.*  
*l. 22. in f. C. mandati* quo casu competit *UTILIS* actio persona-  
lis; *l. 1. C. de Obl. & A.* quæ etiam datur hæredi fideicommissario  
*§. 4. J. de fideic. hæred. It. Creditori utilis pignoratitia l. 41. D. de*  
*pignor. actione.* (Cui non obstat *l. 22. de pignor.*) *It. Emptori nomi-*  
*num l. 7. 8. C. de hæred. vendit. It. Emptori hæreditatis l. 5. C. eod.*  
*l. 16. in pr. ff. de pact. Legatarius quoq; habet actiones personales*  
*ex cessione directas, utiles sine cessione l. 44. §. 6. de leg. 1. l. 18. C.*  
*de legat. Harppr. ad §. 21. J. de leg. n. 5.* *It. si convenit in deposito, ut*  
*alicui tertio reddatur, habet is utilem depositi actionem l. 26. in*  
*pr. D. de pos. Wesemb. in ꝑ. ib. n. 7.*

Th. 18.

*Causa Ef-  
ficient se-  
cundaria  
ADVER-  
SOS  
QUEM  
detur.*

Datur adversus personam obligatam solam, sive ex con-  
tractu nominato, vel innominato, sive quasi contractu, maleficio  
vel quasi maleficio, sive is possideat rem, sive non; & nun-  
quam personam obligati greditur, sed semper est adversus eun-  
dem *l. 25. D. de O. & A. l. 1. §. 16. ad SC. Trebell.* Sequiturque debito-  
rem, licet lepra leprosum *ut Dd. loquuntur h. l.* Datur quoque ex  
vendito ei, cui competit pactum retrovendendi, contra primum  
emptorem in id quod interest. *l. 2. C. de pact. inter Empt. & vendit.*  
*arg. l. 6. C. de rerum permut. Gail. 2. O. 16, n. 4. Harppr. ad §. 4. J. de*  
*Empt.*



*Empt. & vendit. n. 11. Dn. Benedict. Carpzov. p. 2. Const. 1. defn. 16.*  
Quod etiam de heredibus tam Actoris, quam Rei est intelligen-  
dum: Quia fictione juris heres una eademque persona esse cen-  
setur cum defuncto *Nov. 48. in pr. l. fin. C. de impub. & al. substit. &*  
*in omne jus succedunt l. 59. & 62 de R. J.* Vocatur etiam pater  
& filius una caro; *can. contradiximus; §. hac autoritate. caus. 35.*  
*quest. 3.* ideoque in obligationibus semper inclusi præsumuntur  
*l. 9. in f. D. de probat. l. 40. in f. de pact. c. un. 2. FF. 18.* Hinc plures  
heredes unius debitoris principalis tenentur non quidem in so-  
lidum, sed quilibet pro rata parte *l. 26. C. de pact. l. 1. si cert. pet. l. 1.*  
*C. de hereditar. action.* cessat enim inter eos iudicium communi  
dividendo *l. 14. in f. D. de instit. action.* Sic quoque successores  
Regnorum contractus à Prædecessoribus suis initos servare de-  
bent *l. 2. & fin. C. de quadr. præscript. c. 1. X. de probat. c. iusticia. 25*  
*q. 1. c. si ea. 25. q. 2. Henric. Bruningius disp. de Var. universit. specieb.*  
*th. 4. l. b. Daniel. Otto. Discurs. Juris publ. c. 8. pag. m. 191. Matthias*  
*Stephani l. 2. de Jurisditt. part. 1. cap. 1. membr. 1. n. 74.* Actiones  
autem pœnales ex delictis defuncti descendentes, adversus he-  
redes & cæteros successores non competunt *l. 1. pr. D. de privat.*  
*delict. ibiq. Gothofred. in f. l. 26. D. de pœn. l. sancimus C. eod. nisi lis*  
*cum defuncto fuerit contestata l. 139. l. 164. d. R. J.* aut ad heredes  
quid pervenerit *l. 38. l. 44. de R. J.* turpia enim lucra heredibus  
sunt extorquenda *l. 5. pr. D. de calumn. l. 16. §. fin. & 17. D. quod*  
*met. caus.* Sed quid de heredibus furis dicemus? Labet senten-  
tiam meam, exercitij solummodo gratia, hoc modo proferre:  
Aut res (1) extat, vel est consumpta. Et (2) ex consumptione  
furis hæreditas aucta est vel non: Si extat: tenentur heredes in-  
distincte, non ut heredes, sed ut possessores. Si consumpta non  
verò aucta est hereditas; non tenentur ne quidem æstimationem  
restituere; quia factum unicuiq; suum, non alteri, nocere de-  
bet *l. 155. de R. J. l. 9. quest. in fraud. Credit.* Si consumpta, aucta  
tamen hereditas, datur actio in id quod pervenit, quia actiones  
ex delicto uon transeunt ad heredes, nisi quatenus ad eos perve-  
nit *l. 9. §. fin. & seq. D. de rebus auth. jud. possid. l. un. C. ex delict. de-*  
*funct. l. 2. §. fin. D. de Vi bon. raptor. l. 4. §. fin. de incend. Ruin. l. ult.*

B

C. rerum





*C. rerum annot. l. 4. pr. D. de publicanis l. 17. l. 26. D. de dolo malo. l. 8. §. fin. D. de precario. aut lis cum defuncto fuerit contestata l. 87. l. 139. l. 164. de R. J. §. 1. §. de perpec. & semp. act. Consentientem his ita conceptis offendi Dn. Riemerum Dec. 13: quest. 1. Nec puto interesse an fur capitaliter fuerit punitus vel non; Ita ut illo casu heres debeat retinere quod ad eum pervenit; hoc verò non tantum quod ad eum pervenit, sed solidum quoque restituere: Quia (1) turpia tamen lucra heredibus sunt extorquenda; l. 5. in pr. de Calumniat. ne cum jactura alterius contra naturam locupletentur, l. 14. ff. de Condict. indeb. & publica (2) actio Civilis non præjudicat l. 9. §. 5. de vectig. argm. l. fin. C. de ord. judic. l. 12. C. de furt. cumque contrarium Jure Saxonico non sit statutum; cur à communi juris dispositione recedamus? Vide sententias diversas apud Berlich. p. 4. Concl. 19. n. 37. & 38. Carpzov. pract. crim. p. 2. quest. 80. n. 104. & p. 4. C. 32. def. 23. Finckel. Observat. pract. 59. ibiq. aut allegatos.*

Th. 19.

**Objectum** De omni RE, quæ in commercium hominum venit, & de qua re omnibus ijs, de quibus licite contrahimus. detur.

Th. 20.

**Finis ad quid detur.** Tandem datur hæc actio personalis ad Dandum aliquid vel faciendum h. l. neq; aliquid corpus nostrum facit l. 3. de O. & A. & aliis qui ausdam modis h. §. quæ verba diversimode à Dd. explicantur: Placet hæc opinio: Quia non semper petitur aliquid dari, vel fieri, sed prout controversiæ varios habent status; ita sunt variæ causarum figuræ l. 1. D. h. t. veluti si adversus aliquem ex l. diffamari C. de ingen. manum. agam, ut me cesset diffamare, petamq; illi à Judice silentium imponi: It. si adversus aliquem ago, ut agat cum alio sua actione l. 60. §. 5. D. locati l. 13. §. pen. D. de act. Empt. Hcigius h. l. n. 7. Dissent. Accurs. Schneidw. n. 42. aliter Vultejus & ex eo Krcmberg. p. 76.

Th. 22.

Hactenus de personali, sequitur Realis.

**Actio Reali.** Actio in Rem Eine dingliche Klage est actio, qua Dominus rei agit cum eo, qui nullo jure ipsi est obligatus, tamen propter rem





rem suam, quam alius possidet, movet alicui controversiam, de-  
finitore Justinian. *h. l.* & semper adversus eundem est, qui possi-  
det *l. 25. D. b. t.*

Hæc actio vocatur etiam *Vindicatio*, qua de Vocula Vide  
*Dd. ad §. 15. inf. b. t.* Et est vindicatio, vel *Universalis*, nempe he-  
reditatis petitio; vel *singularis*; quæ iterum dispescitur in *Rei Vin-*  
*dicationem*, & *Jurium Vindicationem*, quæ & simpliciter *Vindica-*  
*tio appellatur.* De hac in §. sequenti; de illa hoc loco: Estque  
*Rei Vindicatio*, Vindicatio, qua rem nostram corporalem, à quo *Rei Vin-*  
cunque possidente, vel detinente nobis restitui petimus *l. 25. D. dicatio.*  
*de O. & A.*

Th 22.

Datur autem *directa* domino, qui *Dominium* aut *Jure Gen-* *Cui datur*  
*tium*, aut *Civili* adquisivit *l. 23. pr. D. de Rei Vindic. l. 20. C. de i. directa?*  
*act.* Atque hoc statim, & tempore litis contestationis adesse,  
& usque ad sententiam continuari oportet; quia rei litigiosæ  
nulla alienatio, vel venditio *C. tt. de litiq.* Actor enim dicit  
hanc Rem *Jure QUIRITIUM MEAM ESSE A JO.*  
Citato reo possessore, cui spatium deliberandi datur an velit  
contendere, vel cedere *l. 1. D. de Edend.* videns ipsum non esse  
Dominum, recte ipsi contradicit; Ergo etiam sententia ferri  
debet de eo, de quo contradixit reus, eaque libello conformis  
esse. 2. *Rei vindicatio* originem ducit à *Dominio*, ubi ergo de-  
ficit *Dominium*; ibi nulla potest esse *Rei vindicatio*; & *Paulus*  
in *l. 23. de R. V.* utitur verbo præteriti temporis, qui *Dominium*,  
inquit, *ADQUISIVIT*; non *acquiret*; aut *acquirere potest. it. in*  
*§. 4. f. b. t.* Imperator, ut quis *Dominium SUUM* vindicet, non  
futurum, sed præsens: Vide *Ampliss. & Consultiss. Dn. D. Fiebigium*  
*in antea allegato Collegio Frantzke Ex. 13. sem. quest. 4. Bessell. vol. 1.*  
*disp. w. disp. 11. th. 3. Dissent. Bacchov. tract. de action. disp. 2. th. 13.*  
Datur *mulieri*, quæ proprietatis *dominium*, quod in dote reti-  
net, constante & soluto matrimonio potest vindicare *l. 3. C. de*  
*R. V. l. 30. C. de jure dot. l. 75. D. de jure dot. l. 4. de Collat. l. 71. de*  
*Eviçt.* Nec denegatur liberis *jure protiniseos* utentibus qui  
*bona* vi iata, oblato justo pretio vindicare possunt *l. 35. D. de mi-*

B 2

199,



nor. *Novell. Augusti Elect. p. 2. C. 31.* nisi ubi huic beneficio renun-  
ciaverint; ubi obiter quæri potest; an Juri retractus tacite pos-  
sit renunciari? *Aff. Constit. d. 32. p. 2. verb.* Er thut sich aber dessen  
verzeihen; in qua non additur verb. Ausdrückliche renunciation;  
prout additum est *p. 2. C. 17. vers.* Damit aber; & ita pronuncia-  
unt Nobilissimi Dn. *Scabini Jenenses*, Mense Januar. Anno  
1638. It. Venditori, qui merces suas ab emtore doloso aliena-  
tas, à tertio possessore vindicare potest; quia propter fraudem  
Dominium non translatum esse, intelligitur; *arg. l. 3. ff. de  
pigner. act. Berlich. p. 1. Concl. 64. n. 58. & seqq. Carpzov. p. 1. C. 28.  
def. 18. 19.* Arrestatori de Jure Saxonico, qui per arrestum jus  
reale in bonis debitotum consequitur, omnibusq; aliis Credito-  
ribus antiquius jus Reale non habentibus, præfertur: *Pro-  
cess. nov. Judic. tit. 44. It. tit. 48. It. tit. 51. Carpzov. p. 1. C. 28.  
def. 143.*

Th. 23.

*Utilis Rei Vindicatio* datur eis, qui rem ipsam corporalem; in  
qua juris Dominium habent vindicant. Datur ea 1. Superfi-  
ciario *l. 16. §. ult. de pignerat. act. l. 73. & seqq. de R. V.* 2. Emphy-  
teutæ *l. 1. D. si ager vestig.* 3. Vasallo *c. 1. §. rei autem. 2. FF. 8.*  
4. Usufructuario, respectu rei corporalis, in qua usumfructum  
habet *l. 9. in pr. D. de rebus auth. jud. possid.* 5. Mulieri; si mari-  
tus ex ejus pecunia dotali rem aliquam emit, eo casu, quando  
maritus non est solvendo, ne mulier dotem amittat *l. 55. D. de  
donat. jur. Vir. & Ux. Harppr. ad tit. 7. de Empt. §. 2. n. 16.* 6. Ma-  
rito, qui potest rem dotalem corporalem vindicare *l. 9. C. de Rei  
Vindic.* 7. Donatori mortis causa, qui ex pœnitentia sola potest  
revocare dominium translatum. *l. 29. D. de mort. caus. donat.  
Trentl. disp. de donat. th. ult. lit. g. ibiq; Bacchov.* 8. Donatori con-  
tra donatarium, ob non impletam conditionem *l. 1. C. de donat.  
que sub. modo.* 9. Venditori, qui pretio non soluto, neq; de eo  
fide habita, rem vindicare potest, cæterisq; Creditoribus præfe-  
retur *Gail lib. 2. Observ. 15. Trentl. vol. 1. disp. 28. th. 6.* etiam ante-  
riorem de omnibus bonis debitoris præsentibus & futuris gene-  
ralem hypothecam habentibus *l. 5. §. 17. D. de tribut. act. Carpzov.  
p. 1. C. 28.*



p. i. C. 28. def. 20. 10. Creditori, qui ipsum fundum, tanquam rem  
corporalem, in qua jus pignoris habet vindicare potest l. 16. D.  
de servitu. 11. Pupillo, qui rem ejus pecunia à tutore emtam hac  
utili Vindicatione petere potest l. 2. C. qn. ex fact. tut. l. 7. D. qui  
pot. in pign. l. 3. pr. & l. 8. §. 1. D. de rebus eorum, qui sub tut. Treutl.  
vol. 2. disp. 8. tb. 6. lit. H. Berlich, part. 1. concl. 65. n. 145. & seqq.  
Carpzov. p. i. C. 28. def. 109.

Th. 24.

Hinc commode sustineri potest distinctio domini in  
*Directum*, & *utile*. Certum enim est omnem vindicatio-  
nem præsupponere Dominium; Emphyteutæ, Vasallo &c.  
competit vindicatio t. t. D. si ag. veftig. ergo & Dominium;  
non directum; hoc enim retinet dominus, qui rem dat in  
emphyteusin, aut feudum; ergo aliud ipsis competet domi-  
nium, ab illo priori diversum. Aliud autem est *Vindicare*  
*Jus rei inherens*; aliud *rem corporalem ipsam, respectu juris, quod*  
*in eo corpore quis habet.* Sic licet Emphyteuta, Vasallus, Usu-  
fructuarius &c. hac *REI Vindicatione* non *JUS IPSUM* vin-  
dicent, sed actione Confessoria; ipsum tamen agrum; aut  
rem corporalem *respectu illius Juris* vindicare possunt; quæ  
utique vindicatio arguit aliud Dominium his ipsis compete-  
re, quam Domino proprietatis; Quo in effectu consentit.  
Dn. D. Riemerus Dec. 4. quest. 2. n. III in f. Bacchov. de Act. disp.  
2. tb. 10. Magnif. Dn. Ungépauc Exercit. 5. quest. 3. in A. p. m. 206.  
Dn. Fiebig. in alligato nostro collegio Frantzck. disp. 4. quest. semidec.  
1. Quam distinctionem approbate videtur Augustus Elector  
p. 2. C. 39. Dissent. Bessel. disp. 11. Hillig. lib 20. c. 2. lit. G. Harppr. ad  
pr. J. de Rerum divis. n. 40. Gorbosfr. Anton. disp. feud. 1. tb. 2. l. G.  
Treutl. vol. 1. d. 25. tb. 1. l. G. Niell. disp. feud. 3. tb. 6. l. B.

Th. 25.

Dominium ergo ante omnia Actor probare debet l. 24.  
D. de R. V. cujus probatio est omnium difficillima l. 12. C. de  
probat. ibique 11. d. quibus autem modis probetur docet  
Schneidw. ad h. §. n. 72. In hac probatione si succumbit Actor,  
Reus absolvitur, sive bona sive mala fide possideat l. 4. C. de  
Edendo l. 2. l. 23. C. de probat. l. 9. C. de Obl. & Act.





## Th. 26.

Contra  
Quem.

Deinde hæc Actio datur contra eum qui nullo jure obligatus est *h. §. 1. seu adversus quemcunque, sive naturaliter & civiliter l. 3. §. fin. D. ad exhib. sive civiliter tantum possidentem l. 60. §. 1. D. de Usufr. l. 25. de O. & A. l. un. C. de alien. jnd. mut. l. 24. §. ult. de Judic. Bacchov. disp. 2. tb. 18. Hillig. l. 20. c. 3. l. D. etiamsi bona fide, nullo oblato pretio l. 3. l. 23. C. de R. V. l. 2. C. de furt. It. contra eum qui dolo desit possidere, l. 69. de R. V. sive ante sive post litis contestationem l. 36. pr. l. 27. §. 3. de R. V. Et par est ejus conditio qui quid possidet, atque ejus cujus dolo factum est, quo minus possideret l. 150. de R. Non autem qui post litis contestationem absque dolo l. 27. §. 1. de R. V. idem de lata culpa intelligendum l. 3. §. 1. l. 63. de R. V. Hoc tamen interest, ut qui lata culpa desit possidere, condemnetur in æstimationem, & petat sibi jure cedi actiones; l. 63. de R. V. Qui dolo vel fraude, quanti actor in litem juraverit, nec actiones ei cedendæ sint *d. ll. & l. 69. l. 71. de R. V. Bacchov. disp. 2. tb. 14. Datur it. contra nudum detentatorem l. 9. in f. de R. V. ita tamen ut autorem suum nominet; juxta l. 2. C. ubi in rem act. de qua vide Ummium disput. ad process. judic. 11. tb. 9. It. contra eum qui liti se obtulit l. 7. l. 25. & l. seq. de R. V. etiam contra heredem, non tamen ut heredem, sed ut possessorem l. 42. l. 51. l. 52. de R. V. Requiritur ergo à parte rei, ut rem litis contestatæ; potissimum autem dicendæ sententiæ tempore possideat l. 27. §. 1. D. eod. Hillig. lib. 20. c. 3. B.**

## Th. 27.

De qua re.

Datur postea de RE CORPORALI §. 1. *f. b. t. verbis, veluti si rem corporalem &c. sive ea sit mobilis, sive immobilis; animata, vel inanimata l. 1. §. 1. de R. V. non tantum singulæ res; sed etiam quandoque universitas, ut grex, armentum, equitium. d. l. 1. §. fin. & seqq. quæ tamen universitas non est juris, ut hereditatis petitio, sed facti, aut specierum corporalium. Treutl. vol. 1. disp. 15. tb. 8. l. c. D. Wesemb. parat. de R. V. n. 5. Donell. l. 20. c. 4. ibique Gillig. Oldendorp. p. m. 280. It. res Eccle-*



Ecclesiasticæ vindicantur ab Episcopo; l. 21. C. de Sacr. S. Eccles.  
non tamen suo nomine, sed Ecclesiæ, in cuius quasi patrimo-  
nio existunt Nov. 120. Wesemb. parat. C. b. t. n. 6.

Th. 28.

Quarto & ultimo datur ad *REM RESTITUENDAM* *Ad quid*  
D. h. t. Restituendi verbo non modo rem ipsam sed etiam  
causam hoc est fructus, & utilitates, quæ à re proveniunt, com-  
plectimur l. 173. §. 1. de R. J. l. 17. §. 1. de R. V. it. æstimationem  
deteriorationis l. 13. & seqq. D. eod. Circa restitutionem fru-  
ctuum sic placet distinguere, 1. Inter bonæ vel malæ fidei  
possessorem. 2. Inter fructus naturales & industriales 3. In-  
ter fructus extantes, & consumptos. 4. Inter perceptos per-  
cipiendos, & pendentes. 5. Inter tempus ante vel post litis  
contestationem. Malæ fidei possessor nullos fructus suos  
facit, sed omnes omnino indistincte restituere debet l. 22. C. de  
R. V. ibique Gothofr. l. G. licet impensas necessarias deducere  
l. 35. inf. de hered. petit. l. 5. C. de Rei Vind. utiles vero & voluptua-  
rias salva re permanente tollere possit l. 39. §. 1. de hered. petit.  
l. 37. de R. V. Bonæ fidei possessor fructus naturales & industria-  
les perceptos & consumptos ante litis contestationem irrevoc-  
cabiliter etiam si factus fuerit locupletior, suos facit l. 48. de  
Rer. Dom. §. 35. J. de Rerum div. l. 4. §. 2. D. finium reg. l. 25 §. 1.  
l. 28. de Usur. l. 22. C. de R. vind. Fructus autem extantes sive na-  
turales sive industriales perceptos d. l. 22. & percipiendos §. 2.  
J. C. off. jud. l. 62. §. 1. de R. V. l. 22. eod. post litis contestationem,  
quia incipiunt malæ fidei possessores esse l. 25. §. 7. D. de hered.  
petit. restituere tenentur. Impensas tamen necessarias, & utiles  
deducit l. 8. pr. D. de pignor. act. l. 7. §. fin. de solut. matrim. voluptua-  
rias, modo non malitiose, ut sublacione sibi non profit, Domi-  
notantum obsit, tollit l. 38. D. de Rei vind. Adis Andr. Gerbardi  
Exercit. 4. quest. 9. Riemer die. 4. quest. 4. Frantzck Exercit. 4. quest.  
6. 7. 8. 9. ibique in vindiceis, Dn. Fiebigium. Arum. eus Exerc. 4. tb. 19.  
& Bacchov. ad Tr. 2. 1. disp. 15. tb. 11. l. D. it. vol. 2. disp. 20. tb. 6. l. B.

Ad, §. II. Th. 29.

Vidimus Vindicationem rerum corporalium, restat ut de  
incor.



incorporalium rerum, vel jurium Vindicatione agamus.  
Dicit Imperator *ÆQUE* i. e. quemadmodum res corporales vindicantur Rei vindicatione; ita etiam incorporales, vindicatione simplici.

*JUS SIBI ESSE* sc. Jam constitutum; ad servitutem enim constituendam datur actio personalis contra eum qui promisit, de quibus *S. ult. J. de servit.* petiturque jus, tanquam debitum. Constitutam autem servitutem, vel aliud jus, vindicamus actione Reali, non quidem Rei vindicatione; sed simplici vindicatione; Confessoria nimirum, & Negatoria actione *Wesemb. parat. D. si usufr. pet. n. 4. Bacchov. disp. 2. lb. 21.*

Th. 30.

Aliter autem hinc accipitur actio Confessoria, quam *in l. 23. S. ult. l. 25. S. 1. ff. ad l. Aquil.* ibi namque non intelligitur propria actionis species, sed actio legis Aquiliae, quae adversus contententem datur in simplum. *Oldendorp. Cl. 3. Act. 4. in pr.*

Th. 31.

Utraque est *vel Directa, vel Utilis.*

*Actio Confessoria.  
Qui datur directa.*

*Actio Confessoria directa* est Vindicatio, qua quis Jus incorporale in re vel sua, vel aliena sibi competere asserit. Datur ei qui Dominium Rei incorporalis adquisivit; *sive illud sit proprietatis, sive Juris.* Non enim hac actione vindicamus tantum proprietatem rerum incorporalium sed & jura nobis in illis adquisita. *Vultej. Jurisprud. Rom. lib. 2. c. 2. n. 35 36. Riemer. Dec. 4. q. 1. & 2. e. gr. Jus percipiendi decimas, oblationes, Jus praesentandi, Patronatus Jurisdictio, Venatio, Aueupium; jus piscandi in flumine, ligna in silva secandi, Jus imponendi Collectas, compascuorum, operæ Rusticorum &c. In servitutibus sic lubet distinguere: Servitutes REALES dominus fundi directa hac actione potest vindicare *l. 1. 2. S. 1. 4. S. 7. 6. S. 3. D. si servit. vindic.* servitutes PERSONALES tantum usufructuarius respectu sui Juris *l. pen. in pr. D. si usufr. pet. ib. Uti frui jus sibi esse SOLUS potest intendere, qui habet usufructum; Dominus autem fundi non potest; quia qui habet proprietatem**



dem jus utendi fr. separatim non habet &c. Ideo servitutem personalem Dominus non vindicat actione Confessoria; sed negatoria; asserendo nimirum prædium suum esse liberum; videatur omnino d. l. pen. princip. & §. ultim. Doell. lib. 10. c. 11. Wes. parat. si servit. vindic. n. 5. Datur etiam Emphyteutæ ratione Juris Emphyteuseos l. 4. & §. C. de div. præd. urb., qui vocantur Domini l. 12. in fin. C. de fundo partim. Superficiario l. un. D. de superfic. Vasallo ratione juris quod in feudo habet c. 1. §. Rei 2. F. 8.

Th. 32.

Utilis Confessoria est; qua quis servitutes, aut alias res incorporales, respectu juris, quod quis in iis habet vindicat. Utilis.  
Datur (1) Creditori (nam ipsum Jus pignoris vindicat Quasi Serviana) qui potest vindicare servitutes rei oppigneratæ debitas l. 16. de servit. l. 9. D. de oper. nov. nunciat. 2. Emphyteutæ r. t. D. si ag. vestig. 3. Superficiario l. 3. §. 3. de oper. nov. l. ult. §. ult. D. de superfic. 4. Vasallo c. un. de investit. de re al. 2. F. 8. §. 1. 5. Ipsi fructuario. Ipsum jus, ut dictum, vindicat directa Confessoria; servitutes autem Reales, sive fundo debitas; in quo jus habet vindicat utili hac Confessoria, quod probatur l. un. §. 4. D. de Remiss. 2. per l. 22. pr. junctæ l. 3. §. ult. D. de Aqua pluv. arcend. 3. l. 2. §. 2. de servit. vindic. 4. Quicumque aliquod jus in re habet, & probat servitutem deberi, illi competit actio Confessoria, Schneidw. ad hunc. §. 17. Atqui Usufructuario aliquod Jus in re habet (potest enim vindicare jus ipsum l. 21. §. 3. D. de Except. rei jud.) & probat servitutem deberi. E. 5. Si usufructuario datur utilis rei vindicatio ad rem corporalem, in qua jus habet, vindicandam, quod super. fait probat. Dabitur etiam pro re incorporali utilis Confessoria. Dn. Fiebig. in sæpius allegato Collegio Frantz. Exercit. 5. quest. semidec. 2. Dissent. Trentl. & cum eo Bacchov. vol. 1. disp. 16. th. 7. l. C.

Th. 33.

Competit adversus omnes, qui nos juribus nostris uti impediunt l. 4. §. 5. l. 10. in f. D. si servit. vindic. It. usufructuario

C

ctuario





Quario adversus Dominum ipsum *l. pen. §. 1. si usufr. pet. et.* Et quemcunque possessorem *d. l. 10.* It. qui dolo desit possidere, vel liti se obtulit, & quasi possessor actionem de usufructu accepit. *l. ult. D. si servit. vind. Donell. lib. 11. c. 15. ibique Hilliger. Wesemb. parat. si servit. vind. Schneidw. adb. §. n. 12. 15. Oldendorp. Class. 3. Act. 4. n. III.*

Th. 34.

Eadem datur de rebus incorporalibus, quarum supra facta est mentio: Et hunc in finem; non ut nobis jus debeat, sed quod (1.) jam est, nostrum declaretur *l. 8. §. 4. si servit. vind. & praestetur* (2) cautio de non amplius turbando *l. 7. pr. D. eod.* (ubi disjuncta pro conjunctis accipiuntur *l. 53. de V. S.*) *l. 15. do oper. nov. nunciat. l. pen. D. de aq. quotid. l. pen. §. ult. D. si usufr. pet. praestetur* (3) fructus, & omne id, quod interest *l. 4. §. 2. l. §. ult. D. si servit. vindic. Donell. d. l. Ummius disput. ad process. judic. 9. n. 6. Treutl. v. 2. disp. 17. tb. 7. B.*

Th. 35.

*Actio Negatoria.*

Actio negatoria est vindicatio, qua adversario jus in re nos deberi negamus. *Novell. ad b. §. n. 2. 3.* Datur iisdem fere personis, quibus Confessoria, *Schneidw. b. l. n. 31.* Hoc tamen speciale in hac actione, quod possessor fundi in hac actione dominium non probare tenetur, *Mynsing. Cent. 1. O. 19.* Sed tantum negat praedium suum servitutum debere, hocque ipsi sufficit, ut nisi adversarius probet sibi servitutum competere, succumbere necesse habeat. *Heigius ad hunc §. 20. Dn. Carpzovius p. 2. C. 41. def. 18.*

Th. 38.

Res, de qua datur est libertas rei nostrae; ad hoc ut res à servitute declaretur libera *arg. l. 8. §. 4. D. si servit. vind. & ut adversarius impedimenta, si quae sunt, & opus suis sumptibus tollat l. 14. in pr. §. 1. l. 17. pr. D. eod.* in reliquis locis nihil singulare habet à confessoria actione *Oldendorp. Classe 3. Act. 5. n. VII.*

Illud hoc loco observationem meretur, quod haec actio Negatoria, habeat vim Actionis & Exceptionis. Nam non solum possum experiri eam adversus vicinum molientem aliqui din detri-



detrimentum adium mearum, ut sic ego primus agam, verum  
etiam si ipse adversus me prohibentem & nunciantem novum  
opus agat confessoria, recte illi oppono hanc negatoria actionis  
formulam, in modum exceptionis *l. 16. D. si servit. vindic.*  
*Oldendorp. d. l. n. IV.*

Th. 37.

Quod Genus] Proponit Imp. differentiam inter Rei  
vindicationem, & uindicationem. Nam in Rei vindicatione  
semper agit Dominus contra Possessorem, non autem possessor  
contra Dominum; In vindicatione rerum incorporalium, agit  
Dominus contra possessorem, & possessor contra Dominum.  
*Dd. ad hunc versic. Nisi uno in casu &c.* Optarem bivium  
aliquod, ut deliberare possem, quæ mihi tandem ineunda  
via sit. Nunc cum in hunc opinionum diversissimarum labyrinthum  
inciderim, qua ratione me expedire queam, ingenuè fateor,  
non video. Constitueram equidem totius hujus tituli ἀνάλυσιν  
sub disputationis incudem revocare; serius tamen animadvertionus  
humeris gravissimum me meis imposuisse; nec limites  
disputationis temere transgrediendos esse. Ideoque quæ jam  
adhuc elaborata supersunt; in aliud tempus rejicio: Interim  
si aliqua in parte me minus recte scripsisse, aut persuasionibus  
propriis circumventum esse, edoctus fuero, æquissimum  
Prætoris de in integrum restituendo beneficium, quo nondum  
ætas mea exclusa est, in voco; & corrigendi mihi reservo  
licentiam.

G. S. A.

---

C O R O L L A R I A.

- I. Num Imperator Pontificis Coronatione opus habeat?
- II. An Imperatori competat non aut em Pontifici Jus indicendi  
concilia Nationalia.

III. Rex





- III. Rex Bohemia num status Imperii?  
IV. Elector annos 18. egressus an non solum ad Jus Electionis, verum etiam totius territorii gubernationem admittendus?  
V. An mortuo primogenito ab intestato, secundogeniti mortui filius tertio genito in successione dignitatis Electoralis preferendus?  
VI. An Elector sibi ipsi in Electione Casarea votum dare, seque eligere in Imperatorem possit?  
VII. An Nobiles immediate Imperio Romano subiecti status sint Imperii?  
VIII. Civitates liberae Imperiales in Comitibus num habeant Jus suffragii?  
IX. Imperator à Collectis immunitatem an concedere possit?  
X. Legatus in legatione delinquens num puniri possit?

*Hasce controversias ego quidem privatus non facio meas; placide tamen exercitui gratia quarenti, placide respondebo.*

AD

*Præstantissimum ac Politiss. Juvenem*

JOHANNEM SCHREITERUM  
de Actionibus disputaturum.

**S**Cande, Pharos cathedra est, & latas mitte per oras  
SCHREITERE ingenii lumina clara tui.  
Stat tibi pro rostris eadem: facito omnis inundet,  
Quanta fuit, linguae copia leta tua.  
Nos descendentem mox applaudemus; O iste,  
Quam doctus pariter, quamque disertus erat?

Augustus Buchnerus.

F I N I S.



ULB Halle  
003 862 046




3

Sb.

WPA











EXERCITATIO LEGALIS  
*ad*  
I. & S. 2. Inst. Justiniani Imp.  
*De*  
**CTIONIBUS**  
PERSONALIBUS ET  
REALIBUS.  
*Quam*  
na Auxiliante gratia  
*et* Nobiliss. & Ampliss. Facultatis  
*in* incluta Leucorea Universitate  
SUB PATROCINIO  
BENEFICI, AMPLISSIMI, CONSUL-  
TATQUE EXCELLENTISSIMI,  
EMIAE REUSNERI,  
toris celeberrimi, Facultatis Juridicae Or-  
dinarioris meritissimi, Dicasterij & Scabinatus  
Assessoris gravissimi,  
Promotoris, & Praeceptoris sui, omni, quo par est,  
honoris & obsequij cultu atatem pro-  
sequendi,  
et Amicae dimicationi submittit  
Johannes SCHREITERUS  
Wurzenâ Misn.  
in GYMNASIO SPECTATORUM  
diem Januar: horis consuetis.  
apud Johannis Röhneri, Acad. Typogr. An. 1643.

1643  
3  
10

